Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

tionis eius? Ex quo enim patres dormierunt
omnia sic perseverant ab initio creature. La-
tet enim eos hoc volentes quod celi erant pri-
us et terra de aqua et per aquam consistens dei ver-
bo. per que ille tunc mundus aqua inundatus
periit. Celi autem qui nunc sunt et terra eodem
verbo repositi sunt igni reservati in diem
iudicii et perditionis impiorum hominum. Uni-
um vero hoc non lateat vos karissimi. quia unus dies
apud dominum sicut mille anni et mille anni
sicut dies unus. Non tardat dominus promis-
sis sic quidam estimant sed patienter a-
git propter vos nolens aliquos perire sed omnes
ad penitentiam reverti. Adveniet autem dies domi-
ni sicut fur in quo celi magno impetu transient.
elementa vero calore solventur. Terra autem
et que in ipsa sunt opera exurentur. Cum hec igitur omnia
dissolvenda sint quales oportet vos esse in sanctis
conversationibus et pietatibus expectantes et
properantes in adventum diei domini. per quem celi
ardentes solventur et elementa ignis ardo-
re tabescent. Novos vero celos et novam
terram et promissa ipsius expectamus in quibus
iustitia habitat. Propter quod karissimi hec expectantes
satagite immaculati et inviolati ei inveniri
in pace et domini nostri longanimitatem salutem
arbitramini. sicut et karissimus frater noster paulus
secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis
sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his
in quibus sunt quedam difficilia intellectu
que indocti et instabiles depravant sicut et
ceteras scripturas ad suam ipsorum perditio-
nem. Vos igitur fratres prescientes custo-
dite ne insipientium errore transducti
excidatis a propria firmitate. Crescite
vero in gratia et cognitione domini nostri et sal-
vatoris ihesu christi. Ipsi gloria et nunc et in diem
eternitatis. Amen. Explicit .ii. epistola
Petri. Incipit epistola Johannis.

Quod fuit
ab initio quod
audivimus quod
vidimus ocu-
lis nostris quod
perspeximus
et manus nostre
contrectaverunt
de verbo vite. et vita manifestata est et vidimus
et testamur et annuntiamus vobis vitam eternam
que erat apud patrem et apparuit nobis. Quod vidimus
et audivimus annuntiamus et vobis. ut et vos
societatem habeatis nobiscum. et societas nostra
sit cum patre et filio eius ihesu christo. Et hec scribimus
vobis ut gaudeatis. et gaudium vestrum sit ple-
num. Et hec est annuntiatio quam audivimus ab eo
et annuntiamus vobis. quoniam deus lux est et tenebre
in eo non sunt ulle. Si dixerimus quoniam societatem
habemus cum eo et in tenebris ambulamus
mentimur et non facimus veritatem. Si autem in luce
ambulamus sicut et ipse est in luce. societatem
habemus ad invicem et sanguis ihesu christi emundat filii eius
nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non
habemus. ipsi nos seducimus et veritas in nobis
non est. Si confiteamur peccata nostra. fidelis est et iustus
ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos
ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non pecca-
vimus mendacem facimus eum et verbum eius non est
Filioli mei hec scribo II in nobis.
vobis ut non peccetis. Sed et si quis pec-
caverit advocatum habemus apud patrem ihesum christum
iustum. et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.
Non pro nostris autem tantum. sed etiam pro totius mundi.
Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum si
mandata eius observemus. Qui dicit se no-
sse eum. et mandata eius non custodit mendax
est. et in eo veritas non est. Qui autem servat ver-
bum eius vere in eo caritas dei perfecta est. In hoc
scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso